

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0447

0445

0451

0441

0456

0436

0496

0396


0546

0346

0946

Ende

Anfang



433

purgatis per ignem ejiciuntur, et erant scoriae non ferri vel alterius metalli, sed auri Arabiae optimi, quod olim hic fodiebatur. Unde beatus Jeronymus de distantiss locorum hos montes nominat Catachrysia et dicit, quod juxta eos filii Israel in deserto degentes per tempus manserunt, et quod Moyses ibi scripsit Deuteronomium. Non dubito, quin olim sancti monachi in his specubus sibi cellulas aedificaverint, quia in Vitis Patrum saepe legimus, sanctos habitavisse in cavernis derelictis a fossoribus metallorum. Accepi ergo aliquas scorias et ad dominos milites eas detuli, qui pro munere eas a me patierunt sibi dari, quia erant insuetae figurae.

Gravis diaeta.

Decimo octavo die transacta media nocte recessimus de deserto Meschmar et montes Catachrysiae posttergavimus et in unum districtum venimus, ubi ad dextrum latus montes albos quasi nive infusos habuimus, ad sinistram vero rubros quasi cruore infectos, sed et terrae superficies ita planis tabulis lapideis erat obducta, ac si naturaliter pavimentata fuisset politis tabulis de durissimis saxis, unde bestiae nostrae cum tremore ibi incedebant timentes lubricitari. Deinde ascenso clivo praecipiti in alium torrentem venimus de plana et bona via. Hic torrens suo tempore videtur aquis copiosis redundare. Ex illo torrente descendimus in loca quaedam plana, in quibus reperimus virgulta, arbusta et spineta virentia, quibus inspectis laetati fuimus, quia speravimus, nos ibi aquas reperturos; non enim illa crescere possunt nisi in locis humentibus. Intravimus ergo arbusta illa et vidimus quidem aquas ibidem fuisse, sed nunc nullas adesse. Veruntamen hoc refrigerium ibi reperimus, quod rami et folia arbustorum madescabant rore matutino et guttis noctium plena erant. Porro unus de peregrinis sitiens ramum unum madentem rore avulsit et ori suo applicuit, ut rorem lamberet pro refrigerio suo. Sed dum se putavit refrigerativum rorem lambere, os acutissimo sale invenit se infectum habere, perterritus autem putavit, esse delusionem vel Dei plagam, alios consocios hortabatur de rore fugere, nihil dicens de amaritudine, et omnes invenimus rorem illum nihil